

modi librorum fuisse titulum malim opinari, 'Institutiones iuris civilis' auctore Lactant. 1, 1 § 12: 'Et si quidam prudentes et arbitri aequitatis institutiones civilis iuris compositas ediderunt, quibus civium dissidentium lites contentionesque sopirent, quanto melius nos et rectius divinas institutiones litteris persequemur?' Neque audiendus est Mommsenus [Jur. Schr. II 27, 3], qui Lactantii loco ignorato et spreto Collationis, Boethii, Visigothorum et Iustini in Latinis constitutionibus et in ipsis Digestorum inscriptionibus testimoniis genuinum iis titulum 'Institutionum' asserit ex unius Prisciani [grammatici saec. V/VI] (lib. VI p. 726 P.) [p. 282, 8 ed. Hertz] auctoritate (addi tamen poterat Boeth. comm. in Cic. Top. II p. 299. 303 Bait.), cum dudum Ev. Otto comm. ad Inst. p. 3 aliique viri docti ostenderint scriptores infimae Latinitatis et in his etiam scriptores quosdam exemplarium Iustiniani Institutionum eius in titulo operis hoc verbo usos esse ex licentia Graecorum totum opus τὰ Ἰνστιτούτα (ut Flor. ind. etiam habet 'Definiton' pro 'Definitionum'), singulos eius libros τὴν πρώτην, δευτέραν κτλ. Ἰνστιτουτίωνα appellantium. Secundum ea vero, quae de edicti libris singularibus disputavi, nec dubito Gaium ipsum haec rudimenta eo consilio scripsisse<sup>1</sup>, ut 'in stationibus ius publice docentium' (Gell. 13, 13) ab iis potius, quam ut hactenus factitatum, ab edicti prima parte iuris studium auspicaretur, quod pariter ei ineptum videri debebat, atque nobis videretur, si quis ab ordine quodam iudiciario explicando ante Insti-

1) Nec improbo hoc ita acceptum, ut antequam Institutiones suas in publicum ederet, ea ipsa fere, quae scripserat, viva voce auditoribus traderet, quam sententiam pluribus executus est H. Dernburg libro 'die Institutionen des Gaius ein Collegienheft' (1869) p. 33 seq., modo ne ex commentariorum nomine, quo Gaius hos, ut alios libros etiam ore nunquam traditos, modeste appellavit, argumentum eius sententiae ducas neque hac ipsa forma, quam tenemus, ex auditorum schedis in publicum eos prodiisse opineris. Quanquam etiam alia pleraque eo in libro ceterum elegantissime scripto insunt, quae non probo.